Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30288
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



dixit. Tacete. [illegible] auditis: [illegible] des venerunt de celo? Certe dominus venit sicut promisit. Continuo lux magna refulsit in eodem loco, quasi septempliciter iubar solis ibi resplenduisset; et vox audita est dicens: Egredere benedicta anima de corpore, quia de longinquis regionibus advenisti, ac voci mee obediens parentes et patriam dereliquisti, et me secuta fuisti; eris per longitudinem dierum mecum in claritate que nullo fine clauditur. Post hanc vocem ab omnibus auditam, simul cum ipso splendore preivit ad celum, videntibus omnibus qui aderant, ac dominum glorificantibus angelorum etiam conventus auditus est interim dicens: Beatus quem elegisti et assumpsisti domine; habitabit in tabernaculis tuis in secula seculorum amen. Cumque diei hora in crastinum tercia advenisset, tetigit feretrum eius paralyticus quidam nullius membrorum suorum potestatem habens, et statim sanus factus est. Cum vero ad sepeliendum corpus illius deferretur in hora egressionis a basilica sancti Stephani, celi aperti sunt, itaque omnibus apertione sua ostenderent quia membra beati antistitis tumulanda deferre debuissent. Semper enim illis pergentibus aperiebantur usque ad locum sepulture. Quantus illic fletus, quam innumerus populorum luctus, quantus clericorum et laicorum extitit gemitus, nec si mille haberem linguas edicere valerem. Conveniebant preterea ad exequias sepulture multi demoniaci et ceci ac diversis infirmitatibus oppressi, qui ad eum videndum ex longinquis regionibus advenerant, licet illum videre minime potuissent. Beatus autem Alpinianus accipiens sudarium beati pontificis tangebat infirmorum corpora, et ad Christi invocationem cunctos sanitati restituebat. Inter reliquos vero infirmos qui e diversis partibus affuerunt, non debemus silentio tegere hydropicum quendam ex Tolosana urbe advectum, commutante se seno cecorum numero cum demoniacis quatuor, sequenti die post obitum beatissimi presulis ad sepulchrum illius representatos. Quos videns beatus Alpinianus, more solito accepto sudario sanctissimi sacerdotis et imposito super eos, cunctos restituit integre incolomitati. Multa vero et innumera per sanctissimum presulem postquam tumulari meruit sepulturam, Christi clementia operata est miracula. Assit nobis ille de se loquentibus, qui in urbe extitit pastor pius, ut orationibus [mu]nimenti hereditatis eterne mereamur participes adscisci. Prestante domino nostro Ihesu Christo, cui est honor, virtus, gloria ac potestas, una cum patre spirituque sancto in omnia secula seculorum. Amen.

## Prologus in vitam Ottonis Babenbergensis episcopi

Moyses cum de Amalech victor extitisset, iussum ei a domino est, quatinus et ruinam hostium et israhelitice plebis victoriam commendaret. Ita enim in exodo scriptum legitur: Et dixit dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monimentum in libro, et trade in auribus Iosue: Delebo memoriam Amalech sub celo. Sed quorsum hec tam alto repetita principio? Videlicet ut advertas, si reproborum ad hoc pena describitur, ut mala eorum actio vitanda monstretur, multo magis patrum precedentium gesta debere conscribi, ut eorum qui voluerint virtutes valeant imitari. Si enim eorum quorum est memoria delenda sub celo memorie mandatur interitus, multo magis sancti cuiuslibet vita commendanda memorie est, cui congruit illud in psalmo: In memoria eterna erit iustus. Quo circa communis pater noster Otto episcopus digne in memoriam vertitur hominum, qui humanis rebus exemptus ad gaudium transiit angelorum, quique in hoc adhuc corpore constitutus, iugi bonorum operum meruit exhibitione, ut sit memoria illius in corde et in ore fidelium in eterna benedictione. Igitur aliqua de gestis ipsius domino opitulante scribenda suscepimus, tam pro edificatione legentium quam pro honore gestorum. Verum ne quis estimet fabulosa que scribuntur, ea tamen que vel ipsi pro certo cognovimus, vel que a notis religiosisque personis nobis sunt comperta narramus, ita laboris nostri expectantes a deo mercedem, sicut puram et simplicem hystorie exequimur veritatem.